Ludowicus dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus. Universis Sacri Romani Imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam
suam cum noticia subscriptorum. Dignum censemus et expediens arbitramur ut ea que a quoquam per subreptionem a nobis fuerint impetra-
ta hoc scito et cognito cassemus et irritum revocemus. Quia itaque strenuus miles Arnoldus de Schoynhouen iampridem in nostre Maiesta-
tis presentia constitutus asseruit se et progenitores suos in Civitate Aquen. quoddam feodum praxatorium vulgariter Brivlehen nuncupatum habuisse tenu-
isse et pacifice possedisse, ratione cuius a quolibet praxatore in dicta Civitate Aquen. totiens quotiens praxaverit unum denarium Aquen. antiquum hic
et recipere consueverunt. De quo eum iuxta assertionem suam premissam et instante petitionem quantum de iure debuimus investivimus titulo feodali. Verum
quia consequenter ex parte prudentium virorum Scabinorum Consulum ac universitatis Civitatis Aquen. prescripte Regalis Sedis nostre coram
nobis ostensum est plenius et probatum prefatum Arnoldum militem et suum patrem nec esse nec fuisse in perceptione vel possessione feodi prenotati conces-
sionem et infeodationem per nos sibi factam et quidquid ex inde iuris consecutus est cassamus revocamus immo cassam et irritam nuntiamus. Nolentes
quod sepedicta Civitas Aquen. et eius incole prenominato militi vel suis heredibus occasione infeodationis premisse sibi quidquam dare aut soluere teneantur.
Mandantes nichilominus prenotato Arnoldo militi et suis heredibus ac aliis quibuscumque ne occasione sepedicti feodi sive iure a Civitate
Aquen. quidquam exigant vel requirant. In cuius rei testimonium presentes conscribi et nostre Maiestatis sigillo iussimus consignari. Dat. in oppido
nostro Franckenford ultima die mensis Augusti Anno domini millesimo trecentesimo quadragesimo Regni
nostri anno vicesimosexto Imperii vero tertiodecimo